



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXXVII. De Concilio adversùs Christum habito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

vincula, quibus post Resuscitationem adhuc confictus tenetur; nimirum pravæ inclinationes, & habitus eximendi.

PUNCT. III. *Et statim prodit, qui fuerat mortuus ligatus pedes, & manus insitis, & facies illius sudario velata. v. 44.* Sicut ad vocem Christi revixit Lazarus sic ad vocem Sacerdotis, absolventis à peccatis, reviviscit peccator. Sicut autem Lazarus prodit ex monumento sepulchri valde impeditè, quia adhuc pedes ipsi erant ligati, & manus, & facies erat velata, quò minùs videret, quò iret: Sic peccator à peccatis reviviscens, & prodiens, retinet suas pravas inclinationes, inordinatas passionès, perversos habitus, quibus ligantur manus, & impediuntur ab executione Bonorum Propositorum: ligantur etiam pedes Voluntatis, quò minùs expeditè feratur in Bonum, & occæcatus manet Intellectus, ut honestatem virtutis, ac inhonestatem vitij non satis agnoscat. Cura, ut ab his vinculis sis liber, & alios solvas.

MEDITATIO CCCLXXXVII.

De Concilio adversùs Christum habito.

Joan. II. v. 47.

PUNCTUM I. *Collegerunt ergo Pontifices & Pharisæi Concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa Signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent nostrum locum, & Terram. Id est, nostram Civitatem, & Templum, & Terram devastabunt, nosque captivos abducent, ac dissipabunt, tanquam à Cæsare ad novum Regem & Messiam.*

Messiam deficientes. Hinc patet, quàm stulta, impia, & infirma sit humana, ac Politica Prudentia. Stultè enim tot Signis Pontifices & Pharisei fidem negârunt, propter quæ facti sunt, omnes alios credituros. Stultè timuerunt: quia Christus non affectavit terrenum Regnum; & si affectâisset, ille, qui poterat tot Signa facere, potuisset etiam Regnum suum tueri contra hostes quoscunque. Impiè decreverunt infontem occidere. Infirmum fuit consilium; quia quod Politica Ratio suasit, ut medium evadendi Romanos, id (nempe Mors Christi) fuit causa, ut Romani Ducibus Tito & Vespasiano, in ultionem Filij à Cælesti Patre post quadraginta annos immissi, venirent, & tollerent locum, ac Gentem Judaicam: utque etiam Ecclesia Romana tolleret Synagogam Judæorum. Tu ergo noli vitam tuam instituire secundum Prudentiam humanam hujus Mundi, quæ stultitia est apud DEVM teste Paulo. 1. Cor. 3. v. 19.

PUNCT. II. *Vnus autem ex ipsis, Caiphæ nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis; Vos nescitis quidquam, nec cogitatis, quia expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota Gens pereat. v. 49.* Ex Divino Oraculo hanc Veritatem protulit. Considera itaque genuinum illius sensum, & expende, quis, ac quantus sit ille homo, & quid sit retribuendum illi, qui Morte sua ita Bonum commune procuravit. An non æquum est, ut vicissim Amore illius exuatur amor proprius, & Bonum commune ac Bonum Christi bono privato anteponatur; atque adeo à nobis, contra, quàm Mundi sectatores solent (qui teste Paulo Philipp. 2. v. 21. *Omnes, quæ sua sunt, querunt, non quæ sunt JESU Christi*) quærantur ea potius, quæ sunt Christi, quàm quæ sunt nostra?

PUNCT.

PUNCT. III. *Hoc autem à semetipso non dixit: cum esset Pontifex anni illius, prophetavit, quòd IESUS moriturus erat pro Gente, & non tantum pro Gente, sed Filios DEI, qui erant dispersi, congregaret in unum. V. Id est, Fideles ex Gentilibus, & ex Judæis in unam Ecclesiam congregaret. Sic etiam Superiores nos prophetant; quia nos ipsi non scimus quidquam, nec cogitamus, quod expedit nobis. Illorum ergo iudicio nos penitus committamus; quia hoc ipso, quòd Superiores sint, à DEO reguntur, & illustrantur, ut etiam si malè erga nos affecti essent, & nostrum bonum minimè intenderent, id tamen procurarent; sicut Caiphas suâ sententiâ procuravit Redemptionem totius Generis Humani, & Exaltationem Christi, cum ipse prorsus aliud intenderet.*

MEDITATIO CCCLXXXVIII

Christus ascendit Ierosolymam.

Marc. 10. v. 32.

PUNCTUM I. *Erant autem (Christus & Discipuli) in via ascendentes Ierosolymam: & precedebat illos IESUS, & stupebant: & sequentes timebant. Marc. 10. v. 32. Considera ex eo, quòd Christus ab Evangelista dicatur præcessisse ad locum Passionis, indicari ingens desiderium, & promptitudinem patiendi, atque ad se alacriter sequendum alios incitandi: quandoquidem Momentaneum ac leve tribulationis nostræ supra modum Æternæ Gloriæ pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. v. 17. Unde immeritò etiam Sequentes timebant. Timeant potius ij, qui Christum non sequuntur.*

PUNCT